



Disputatio juridica inauguralis de compensationibus

<https://hdl.handle.net/1874/340996>

DISPUTATIO JURIDICA
IN AVGVRALIS
DE

Compenfationibus.

Q V A M

Favente Deo Opt. Max.

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris ,

D. JOHANNIS HOORNBECK, SS.

Theol. Doct. & ejuld. facultatis in Alma Academ. Ultraject.

Profess. ordinarii, & p. t. Rectoris Magnifici, atque

Ecclcl. ibidem Pastoris vigilantissimi.

Amplissimi Senatûs Academici consensu & celeberrima Facultatis Juridicæ decreto.

Pro Gradu & Privilegiis in U. J. consequendis

publico examini subjicit,

GEORGIUS LAMSVVERDE Ultrajectinus.

Ad diem 11. Martii horis locoque solitis.



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ JOHANNIS à WAESBERGE

ANNO M. DC. LI.

Gravissimo doctissimoque

V I R O,

D. ALEXANDRO LAM-
SWEERDE. L. A. M. Eccles.
Metropolitanæ Traject. Cano-
nico, Vice-Decano, ac Præpo-
situræ & Archidiaconatus Offi-
ciali, ejusdemque Eccles. nomi-
ne in confessum D. D. Archicu-
ratorum aggeris Leccæ delega-
to, parenti reverendo.

D. D. C.

GEORGIUS LAMSWEERDE.

ULTRAJECTI

Ex Officina Johannis WASSERBERG

ANNO M. DC. LI.

DISPUTATIO JURIDICA
 IN AVGVRALIS
 DE
 COMPENSATIONIBUS.

T H E S I S I.



Compensatio est debiti & crediti inter se contributio *l. i. h. t.* vel est per æris sui computationem ab alieno ære liberatio, *ut definit. Cuj. in parat. eod. Contributionem,* autem intellige seu ut in definitione *Cuj. liberationem* (quod magis arridet) quæ iplo jure fit, non quæ per retentionem seu deductionem opposita exceptione doli mali. Longe enim diversa sunt deducere seu retinere, & compensare *l. si amplius 15. ff. rem ratam hab. l. filium 24. C. famil. erciscund.:* quæ retinere possumus ea quæsi non retinuimus, condicere non possumus *l. si in area & l. ex quib. causis 5 1. de condic. indeb.;* quæ vero compensare possumus, ea, si non compensavimus, condicere possumus. *l. si ambo 10. §. 1. ff. h. t.* Porro compensatio fit in perpetuum retentio pro tempore, quasi pignoris loco; ut tam diu res apud creditorem maneat, donec illi satisf. *l. 15. §. ult. l. 59. ff. de furtis.* Interdum tamen vocabulum compensationis latibus sumitur, & tunc pro retentione, ponitur. *l. 18. 39. ff. de pignor. action. l. 7. §. ob donationes solut. matrim. cui conjunge l. un. §. taceat. C. de rei uxor. act.*

II.

Æquitas compensationis in eo est, quod interest nostra, potius non solvere, quam solum repetere *l. 3. ff. h. t.* & quia dolo facit, qui petit, quod redditurus est. *l. dolo 8. ff. de doli & met. except.* Cæterum non eodem modo in omnibus actionibus olim admissa fuit compensatio, Instincti enim juris con-

tractibus ante D. Marcū omnino non admittebatur, sed re-
conventionem erat utendum. *arg. l. 11. §. 1. ff. de Iurisdic. Trent.*
25. dist. thes. 7. in notis lit. C. post ejus constitutionem in iis ad-
missa est ope exceptionis doli mali, §. *in bona fidei 30. Inst. de*
action. Deinde etiam ipso jure cœpit in illis admitti *l. cum al-*
ter 11. l. postea quam 21. ff. h. t. l. inter tuto 36. ff. de administ.
tut. quod ab Imperat. Alexandro confirmatur, *l. si constat. 4.*
l. etiam si 5. C. h. tit.

III.

In bonæ fidei iudiciis semper ipso jure admittitur, *d. §. in*
bona fidei, sed de eo controversia mota fuit inter Gloss. Mar-
tinum & Ioannem utrum vel tacente reo ejus à iudice ratio
habenda sit? Affirmante id Martino, Ioanne vero dicente,
exceptione opus esse, sed ambo male, qui enim iudex tacen-
te reo divinare posset, reo vicissim quid deberi? aut quomo-
do, si exceptione opus esset, ipso jure fieret compensatio?
Opponi ergo eam quidem necesse est coram iudice, sed non
exceptione opus est, quæ actionis formulæ subijciebatur, sed
tali, quæ hodie omnibus iudiciis ex causa compensationis in-
est: *l. unum ex fam. 67. §. 3. de legat. 2. Cuj. 15. obs. 1.* Martini sent.
tuetur, & in sanum sensum explicat Cyn. in *l. constat. 4. C. h. t.*
cui explicationi non repugno.

IV.

Nec refert, utrum ex contractu, ex delicto vel quasi de-
licto debeatur. *l. 10. 11. 21. ff. h. t. l. 10. C. eod.* utrum ordinaria
actione petatur, an extraordinem tantū *l. 5. C. eod.* stipulatio-
nibus quoque prætoriiis, quæ vicem actionum optinent, re-
cte opponitur compensatio, *d. l. si ambo 10. §. ult.* nec non a-
ctioni iudicati, *l. 2. C. h. t.* Ejus quoque quod officio iudicis
tantum debetur, & de quo lis jam contestata est compensa-
tio recte obijcitur, *l. pecuniam 15. l. in compensationem, 8. ff. h. tit.*
Nec obi. *l. ubi captum 30. ff. de Iudiciis vide Bronchorst. cent. 2.*
assert. 44.

V.

Quod natura tantum debetur compensari potest. *l. 6. ff. h.*
t. Nec

e. Nec obstat. l. quacunque 14. ff. h. t. Briffon lib. 2. de solutionibus ad hunc tit. Nec l. 10. de verb. sig. Nec l. 40. ff. de condict. indebiti, vide Bronckh. cent. 2. assert. 45.

V I.

Fisco debitum compensari potest, modo ex eadem statione debeatur, nec debitor pecuniæ sit ex venditione filci : l. 1. & 7. C. h. t. Reipub. quoque debitum compensari potest, si neque ex Kalenderio, neque ex vectigalibus, neque ex frumenti oleive publici pecunia, neque ejus qui statutis sumptibus servit, neque fideicommissi civitati debiti debitores sumus. l. ob negotium 20. ff. h. t. l. 3. C. eod.

V II.

Compensatio competit ei, cui vicissim aliquid suo nomine debetur. Nam ejus quod alius debet, compensatio non fit. l. ejus quod 9. C. h. t. l. pen. ff. eod. nisi quod propter conjunctionem personæ admittatur compensatio, ejus quod patri debetur, quando cum filiosam agitur, interposita cautione de rato. l. si cum filios. 9. §. 1. ff. h. t. ita & propter, conjunctionem obligationis compensat fidejussor, quod reo principali debetur. l. 5. ff. h. t. & duo rei, si loci sint, alter quod alteri debetur, compensant arg. l. si duo 10. ff. de duob. reis. §

V III.

Idem est in procuratore & tutore, illis enim opponitur compensatio ejus quod mandans vel pupillus debet, non ejus quod ipsi debent, cum qui per alium agit ipse agere videatur, & tutor pupilli personam sustineat. l. pen. ff. tut. at illius debiti compensatio recte tutori objicitur, quod ex diversa administratione debetur. divisio enim tutelæ, cum nec ipso jure nec lege fiat, modum quidem administrationi inter ipsos tutores facit, creditoribus vero non præjudicat. l. inter tutores 36. ff. de administrat. tut. è contra si militi castrensiu bonorum alius, ceterorum alius hæres existat non audietur alteri hæredum obligatus, si, quod sibi defunctus debuit, cujus tamen dissolvendi onus ad alterum pertineat, velit compensare. l. cum militi 16. in pr. ff. h. t.

IX.

De procuratore in rem suam dato controvertitur, utrum tantum post litiscontestationem, an etiam ante, ejus debiti nomine cujus gratia ei sunt mandatæ actiones, compensationem opponere possit? Nos cum *Cuj. 24. obs. 37. & Duar. cap. 1. ad h.t. affir.* quod etiam ante litiscontestationem compensare possit *l. in rem suam 18. ff. h.t. arg. l. 25. & 55. ff. de procurat. Nec obstat l. 3. C. de Novat. vide Cuj. d. loco Diss. glos. in d. l. 18. & DD. vulgo: Trent. 25. disp. thes. 10. lit. B. in not. Horomm. in com. hic Briss. de solut. lib. 2. ad h.t.*

X.

Titius cum ei obstaret compensatio, quia naturaliter erat obligatus, cessit actionem suam Sejo, quæritur utrum compensatio ejus quod Titius naturaliter debet, obstat Sejo? *affir. Cyn. Bald. Ang. Salic. in l. 9. C. h.t. Bart. Bald. & Ang. in l. 34. de procurat. Neg. glos. in d. l. 34. & l. 9. Mud. ad §. in bonæ fid. Inst. de actionibus num. 10. & 11. Prior sententia nobis rector videtur. arg. l. traditio 20. inpr. ff. de acquirend. rer. dom. l. nemo ff. de reg. juris.*

XI.

Nunc videamus, quid novi juris circa compensationem introduxerit Iustinianus. *l. ult. C. h. t.* Nec enim de hoc inter omnes constat. Et nihil aliud novi agnoscimus, quam quod compensationi etiam locum fecerit in actionibus realibus, *d. l. ult. inpr.* Quod enim præcepit in dicta constitutione ne illiquidum debitum compensetur, illud & ante eam obtinuisse ait *l. si debeas 22. ff. h. t. l. si tutela 3. ff. de tut. & ration. distrah. Cuj. 8. obs. 16.* Sic & ante d. constitut. obtinuit, quod perperam possessionem alienam occupantibus non detur retentio seu compensatio. *l. 31. §. 1. & seqq. ff. de hered. petit. l. 116. de R. I. Vt & hoc quod actioni depoliti compensatio non opponatur d. l. ult. C. h. t. l. ult. C. commodati junct. l. Lucius 24. ff. de positi. Paul. 2. sent. 12. §. ult. & ibi Cuj. ut & d. obs. 16. 9. obs. 37. 15. obs. 12. Diss. vulgo DD. testante Trent. 25. disp. thes. 7. lit. D. & præter vulgus Don. in d. §. bonafid. n. 10.*

Porro

XII.

Porro quæritur quæ res in compensationem veniant? Speciei cum specie, neque speciei cum quantitate admittitur compensatio. *l. 4. §. 12. C. h. t. l. 5. ff. de impens. in rem dot. fact. l. si si convenerit. 18. in pr. ff. de pignor. act. Paul. 2. sent. §. 5. ult. ubi Cuj. in notis, Donell. in d. §. in bona fid. n. pen. & ult. Diss. Duar. in l. fructus 7. §. ob donationes. per eundem §. Nec obstat. l. ult. C. h. t. Nec Paul. d. loco, vide Brisson. lib. 2. de solut. ad hunc tit.*

XIII.

Debeo tibi hominem in genere ex stipulatu, tu mihi vicissim ex testamento, an fieri potest compensatio? utriusque non obstat quod ex diversa causa debitores sumus *Paul. 2. sent. c. 5. §. ult.* sed an non obstat, quod generis cum genere fieret compensatio, majoris dubii est? sed nec hoc obstat puto, & ita recte olim *Bald. in l. 78. de hered. instit. faciunt pro hac sent. l. 1. §. pen. ff. si pars hered. petat. l. 3. ff. si certum petat. l. 67. ff. de solut. Diss. Fab. in d. §. in bona fid. Donell. ibid. n. 13. per l. 66. §. non idem ff. de legat. 2.*

XIV.

Legavit mihi Titius nummos, quos in arca habet, quæritur an hæres mihi compensationem opponere possit, ejus, quod ipsi debeo? *Neg. arg. l. plane 34. §. 7. l. 51. ff. de legat. 1. l. 75. §. 5. de verb. oblig. Fachin. 1. controvers. cap. 7. ubi vide DD. pro affirm. & Neg. sent. citatos.*

XV.

Gravior controversia est, an in comodato compensatio locum habeat? *Aff. arg. d. §. in bona fid. d. l. ult. C. h. t. ubi solum depositi actio, & ea, quæ repetimus res vi ablatas excipitur. Adde l. 18. §. ult. ff. commodati. Cyn. in d. l. ult. Cuj. in not. ad Paul. 2. sent. §. 5. ult. Diss. Accurs. & plerique DD. in d. l. ult. in verbis depositi. Nec obstat l. ult. C. commod. vide Cuj. 9. obs. 37. Aliter Resp. Donell. in d. §. in bon. fidei n. 11.*

XVI.

Dotis repetitioni quoque compensatio opponi potest. *l. 15. §. 1. l. 22. §. 3. l. 24. §. 6. l. 66. §. 1. ff. solut. Matrim. l. 6. C. h. t. arg.*

arg. l. ult. eod. Cuj. in not. ad Ulpian. tit. de dotibus, in verbis non in petitione Treutl. volum. 1. disp. 25. thes. 7. litt. G. Diff. Duar. in l. 7. §. ob donationes sol. matrim. per l. un. §. taceat C. de rei uxor. act.

XVII.

Compensatio ita, uti diximus thes. 3. opposita, non tunc demum effectum sortitur, sed retrò ex eo tempore, quo invicem deberi cœpit, ita ut exinde nec usura, quoad concurrētes quantitates, debeatur. *l. 4. C. h. t. & pignus repeti possit. l. 12. eod. Bart. in l. 4. C. h. Cost. in l. 11. h. Peref. h. n. 17. Duar. h. t. c. 2.*

XVIII.

Compensatio ergo pro solutione habetur. *l. si debita 4. §. fin. ff. qui pot. in pig.* Cui consequenter defenditur, quod non sit perjurus, qui juravit, se soluturum, si compenset. *arg. l. 1. 2. 4. 10. §. 1. ff. h. t. l. 4. C. eod. Covar. in C. quamvis p. 1. §. 4. n. 8. Peref. h. t. n. ult.* Ratio dictæ sententiæ est quod solvere videatur, qui compensat, etiam si de implenda condicione agatur. *l. si speculum 20. §. quod si hered. ff. de statut. in qua à propria verborum signatione non receditur, nisi duce voluntate. l. in condicionibus 19. ff. de condit & demonstr. Vide Fachin. 1. controvers. c. 8. & ibi DD. pro affirmante & negante sententiam citatos.*

XIX.

Atque hæc ita, obtinent si compensatio à iudice non rejecta fuerit: si vero rejecta sit, tunc aut rejecta est quasi debitum non sit, & postea agenti obstat exceptio rei judicate; aut alia de causa, veluti quod debitum non esset liquidum, & postea agenti non obstat exceptio. *l. 7. §. 1. ff. h. t. l. cum quaritur. 12. l. 13. l. 14. ff. de except. rei judic. Duar. h. t. cap. 2.*

COROL-

COROLLARIA.

^{I.}
Mulier in dote præfertur omnibus creditoribus, etiam anteriorem expressam hypothecam habentibus.

^{II.}
Beneficium *l. si unquam* 8. *C. de rescind. Donat.* non est extendendum ad quoslibet donatores.

^{III.}
Non rectè Jure Canonico sponsalia dividuntur, in sponsalia de præsentì, & futuro.

^{IV.}
Nec valent hæ divisiones DD. quod partum aliud nudum sit ali-

B

ud

ud vestitutum 2. Usufructus alius
causalis est, alius formalis, 3. Jus-
jurandum in litem aliud veritatis,
aliud affectionis, 4. Probatio alia
plena alia femiplena.

v.

Feudū non consistit nisi in rebus
immobilibus aut quæ eorum nu-
mero censentur.

vi.

Cedi bonis nostris moribus non
potest nisi cedendi facultas à Cu-
ria Impetretur.

F I N I S.